

17. *Hæc non petitur jure actionis, sed implorato officio judicis competentis.* — Dicitur primo, « implorato officio judicis, quia restitutio in integrum non petitur jure actionis, sed per officium judicis competentis, l. *Quod si minor*. § fin. ff. de *Minorib.* Nam Ecclesia vel minor ex contractu, vel sententia graviter læsus, implorat officium nobile judicis ad concedendam sibi restitutionem in integrum ex naturali dumtaxat æquitate: non autem prætendendo proprie jus aliquod, eo quod actus sive contractus, unde gravis læsio eidem obtigit, cæteroquin omnes legitimas conditiones habeat, ac de jure validus existat, uti supponitur conformiter dictis n. 14.

18. *Et qualis hic sit judex competens?* — Et additur, « competentis, » quia restitutio in integrum est petenda solummodo coram judice competente, qualis est judex competens illius, in cujus præjudicium petitur restitutio. Nam generale est, quod actor forum rei sequatur, c. *Si clericus*, 5, et c. *Cum sit generale*, 8, de *Foro compet.* Idque etiam obtinere in agitanda causa restitutionis in integrum, patet ex l. *Quoniam*, 2, C. *Ubi et apud quem cognitio in integrum*, etc. juncto summario, et doctores ibidem. Abbas in c. *Constitutus*. n. 1, et 2, h. t. Engel, eod. n. 7, et communis.

19. *Judex minor non potest restituere contra sententiam majoris.* — Intellige, dummodo judex ille sit major altero, contra cujus sententiam restitutio in integrum imploratur. Nam judex minor, seu inferior, non potest restituere contra sententiam judicis majoris, l. *Minor autem*. ff. de *Minorib.* Siquidem minori non est jurisdictio in majorem; adeoque conveniens non est, ut per illum hujus sententia rescindatur, prout argumentatur Zoesius, h. t. n. 6.

20. *Restitutio in integrum debet fieri citato adversario.* — Dicitur ulterius, « citato etiam adversario. » Iste enim cum primis citandus est, ne causa, quæ ipsum tangit, eodem inconsulto temere mutetur. Unde provide l. *In causæ cognitione versabitur*, § *Causa*. ff. de *Minorib.* statuitur, quod præsentibus adversariis, nisi per contumaciam se absentent, in integrum restitutiones sint perpendendæ. Quinimo, quod restitutio concessa non citatis illis, quorum interest, in eorum præjudicium nihil valeat, textus est in l. *Etiam si patre*. § fin. ff. eodem.

21. *Alia declarantur. Remissive.* — Cæteræ particulae patent ex illis, quæ proxime dicta

sunt de requisitis ad restitutionem in integrum. Quod autem ista possit peti vel principaliter, vel incidenter, et an etiam a procuratore peti valeat, jam dictum est, tit. XXXVIII. De *procuratoribus*. § 4, n. 103 et 104.

S II

QUIBUS COMPETAT BENEFICIUM RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

22. *Minorennibus competit beneficium restitutionis in integrum.* — Quæritur I. Utrum minorennibus competit beneficium restitutionis in integrum? Resp. I. Restitutio in integrum jure communi cum primis conceditur ætate minoribus (id est, iis, qui viginti quinque annos nondum compleverant), si ex actu sive contractu notabiliter læsi, vel decepti sunt. Ita habetur in c. *Constitutus*. 8, h. t. ac l. I, et tot. tit. de *Minoribus viginti quinque annis*, cum concordantiis. Cujus saluberrimæ constitutionis in cit. l. I. affertur sequens ratio: « Nam cum inter omnes constet fragile esse et infirmum hujusmodi ætatis consilium, et multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum, auxilium eis prætor hoc edicto pollicetur, » etc.

23. *Etiam si contractus sit factus cum consensu patris, tutoris, vel curatoris.* — Conceditur autem hoc beneficium restitutionis in integrum minoribus utriusque sexus, ac etiam si contractus, ex quo graviter læderentur, factus sit cum consensu patris, tutoris, vel curatoris. Textus et doctores in l. I. ff. de *Filiosfamil. minore*. et l. III. § *Sed utrum*. ff. de *Minoribus*. et clarissime l. II, C. *Si tutor vel curator intervenerit*, cum similibus.

24. *Minor ætas qualiter computanda?* — Cæterum hujusmodi « minor ætas, » seu tempus viginti quinque annorum, est inspicienda de momento in momentum, ac dies bissextilis cum præcedenti computatur pro uno, adeoque graviter læsus ultima die viginti quinti anni, nondum a momento in momentum completa, potest petere restitutionem in integrum; text. clar. l. *Denique divus*, 3, § *Minorem*. ff. de *Minoribus*. Siquidem in materia odiosa (qualis est, non amplius gaudere beneficio restitutionis in integrum) dies a jure requisitus debet esse completus de momento in momentum: quamvis in materia favorabili secus sit; utpote in qua dies inchoata habetur pro completa; prout

eam communiori notat Fagnanus in c. *Ad nostram*, n. 31, de *Regularib.*

25. *Dantur plures casus, in quibus minores non gaudent restitutione in integrum.* — Resp. II. Dantur nihilominus plures casus, in quibus minorennis, seu ætate minores, non gaudent beneficio restitutionis in integrum. Ita communis; et probatur inductione.

26. *Uti, si minor antea impetravit veniam ætatis.* — Imprimis enim minor non gaudet beneficio restitutionis in integrum, si antequam contraxerit, ætatis veniam impetravit a principe: nam ea, quæ postea gessit, rata et firma manent, neque adversus ea conceditur restitutio, l. I. C. *De iis, qui veniam ætatis impetrarunt*. Accedit ratio: tum quia talis fictio juris natu major reputatur; tum quia alioquin illi, qui cum talibus contrahunt, auctoritate principis decepti esse viderentur.

27. *Vel si major effectus ratum habuerit, quod antea gesserat.* — Deinde minor non gaudet beneficio restitutionis in integrum, si major effectus ratum habuerit, quod in minorennitate gesserat, l. I. et II. C. *Si major factus ratum habuerit*. Et merito, tum quia talis censetur juri suo renuntiasset; tum quia propter ejusmodi ratihabitionem subsequentem, videntur omnia in majorennitate gesta.

28. *Aut illud juramento sponte præstito confirmavit.* — Tertio hoc ipsum accidit, quando minor, pubertate jam adeptus, contractum a se factum juramento sponte præstito confirmavit, Auth. *Sacramenta puberum*. C. *Si adversus venditionem*, etc. Tunc enim juramentum sponte præstitum, firmat ejusmodi contractum; et quia non vergit in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum redundat, omnino servari debet, c. *Quamvis pactum*; de *Pactis*, in 6, cum similibus.

29. *Secus, si juramento dolo adversarii extortum fuerit.* — Et additur, « sponte præstito. » Nam, quod juramentum dolo adversarii extortum non impedit restitutionem in integrum, desumitur ex c. *Cum contingat*. 28. de *Jurejurand.*, etc. Licet, eod. in 6, ac tradit Covarruvias in c. *Quamvis pactum*. in 6. part. III, § 4. n. 3, citans alios.

30. *Minor fallaciter se majorem asserens, nequit petere restitutionem: secus, si id fiat per errorem.* — Quarto, si minor fallaciter sese majorem asserat, eo animo, ut alium ad contrahendum secum inducat, qui alioquin contracturus non fuisset, non potest postea petere restitutionem. I, II et III. C. *Si minor*

se majorem dixerit, etc. Secus est, si id fiat per errorem; nam probata ætate minori potest petere restitutionem in integrum, l. I et III, C. eod. Ratio disparitatis est; quia errantibus, seu deceptis, non etiam fallentibus minoribus, jura subveniunt, cit. l. II. C. eod.

31. *Aliæ limitationes. Remissive.* — Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, quas addit card. Tuschus, litt. R, concl. 28, n. 117 et seqq., ubi post alios notat, quod non detur minori restitutio in integrum adversus judicatum, nisi constet de injustitia judicati, et de læsione minoris. Item, quod restitutio in integrum non detur filio etiam minori adversus patrem. His addi possunt causæ illæ, de quibus infra § 4 ex professo dicitur.

32. *Beneficio restitutionis in integrum gaudent ecclesiæ, monasteria.* — Quæritur II. Utrum beneficio restitutionis in integrum gaudeant ecclesiæ, claustra aliaque pia loca una cum republica et universitatibus? Resp. I. Certum est atque inter doctores indubitatum, quod beneficium restitutionis competit ecclesiis, claustris seu monasteriis aliisque piis locis. Prior pars de ecclesiis habetur expressa in cap. i. et seqq. h. t. Nam ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari, cit. cap. i, cum fungatur jure minoris, c. *Auditis*. 3. h. t., et amplius declarat Glossa ibid. § *Jure minoris*, inter alia observans, quod licet ecclesia fungatur jure minoris, non tamen fungatur jure pupilli: quia contra pupillarem ætatem non currit præscriptio, l. *Sicut in rem*. C. de *Præscriptione triginta annor.* bene tamen contra ecclesiam, c. *Illud autem*. 8. et seqq. de *Præscriptione*.

33. *Non vero personæ ecclesiasticæ in suis bonis patrimonialibus: et quæ ratio disparitatis?* — Intellige tamen datam conclusionem, quando Ecclesia in propriis bonis, seu juribus graviter est læsa. Nam, si non ecclesia, sed solum personæ ecclesiasticæ in suis patrimonialibus bonis lædantur, non competit eis beneficium restitutionis in integrum. Glossa in Clem. un. § *Ecclesia*. h. t.; Speculator, tit. de *Restitutione in integrum*. § *Quamvis pactum*. n. 7; Abbas c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 7; et Felinus, ibid. n. 10. de *Constitut.*; Covarruvias, l. I. *Var. resolut.* cap. IV, n. 2 et 3; Fagnanus in c. *Consuetudinis*. n. 30, de *Consuetud.* id extendens ad redditus Ecclesiarum clericis debitos; et alii. Ratio disparitatis inter hujusmodi bona est, quia bona Ecclesiarum sunt constituta ad cultum divinum, et ad subveniendum pauperibus: bona

vero clericorum patrimonialia ad quoscumque usus pro voto ipsorum clericorum destinantur, et tandem ad consanguineos, seu aëredes eorum libere transeunt: unde cessat in his favor religionis, qui datur respectu ecclesie.

34. *Eodem privilegio gaudent bona clericorum et ecclesiarum, quomodo intelligendum?* — Dices: Eodem privilegio gaudent bona clericorum, et ecclesiarum; ut can. *Similiter*. 16, q. 1 et c. *Non minus*. 4. de *Immunitat. ecclesiar.*, et Clem ult. eod. cum similibus; ac docet Glossa in c. *Ecclesia sancte Marie*. y. *Personis. de Constitut.*, et Glossa fin. in cap. ult. de *Vita et honestat. clericor.* Resp. cum Abbate cit. n. 7, et aliis, ubi supra, hoc dictum Glossæ solum procedere in casibus a jure specialiter expressis, ut est privilegium fori, immunitas a solvendis novis collectis laicorum, et hujusmodi: non autem universaliter. Unde in simili quod res patrimoniales clericorum præscribantur, sicut res laicorum; tradit Glossa in can. *Possessiones*. 16. quæst. 4, id probans ex c. *Sanctorum. de Præscriptionib.*, ubi hoc ipsum tenet Abbas, num. 6, cum aliis.

35. *Beneficium restitutionis in integrum, competit quibusvis locis piis.* — Altera pars conclusionis, seu quod beneficium restitutionis in integrum competat quibusdam locis piis, puta collegiis clericorum, claustris religiosorum, hospitalibus episcopi auctoritate fundatis, quin et confraternitatibus et congregationibus, ad pietatem religionisque augmentum institutis, est communis. Eamque in specie tradunt Abbas in cap. *Ex litteris*. n. 2, de *Consuetud.* et cap. 1, n. 15. h. t.; Maranta, part. VI *Speculi aurei*. §. *De Appellatione*. n. 90; hinc excipientes collegia non pia; Sannig h. t. cap. III, n. 3; istud post Laymanum in c. *Ecclesia*. n. 3. eod. in 6; extendens ad ecclesiam nondum extractam, attamen jam inchoatam; alique passim. Idque probatur ex cit. c. *Ex litteris*. 2. de *Consuetud.* ubi claustra, ecclesie et quælibet loca religiosa, quoad favorabilia æquiparantur. Id ipsum clarius patet ex l. *Omnia privilegia*. 33. C. de *Episcop. et cleric.*, ubi omnia privilegia ecclesiis concessa, expresse extenduntur ad alia pia loca.

36. *Sicut et reipublica graviter læsa.* — Resp. II. Insuper beneficium restitutionis in integrum competit reipublicæ, si graviter lædatur. Textus est in l. *Respublica*. C. *Quibus ex causis majores*, etc. ibi: « Respublica mi-

norum jure uti solet: ideoque auxilium restitutionis implorare potest. » Concordat textus in l. *Rempublicam*. C. de *Jure reipublic.* lib. II, ubi dicitur: « Rempublicam ut pupillam, extra ordinem juvari, moris est. »

37. *Et principi, ac universitati civilis, castri.* — Atque hoc ipsum extendunt doctores ad principem, veluti caput reipublicæ. Deinde ad universitatem alicujus civitatis, castri et villæ, quæ propter multitudinem hominum regitur per syndicos et administratores: secus, ubi pauci sunt homines; puta, sex vel decem, qui singuli reguntur per se ipsos, Bartolus in d. l. *Respublica*. C. *Quibus ex causis majores*, etc.; Maranta loc. cit. n. 97, et alii. Nam eadem ratio militat in his, ac in republica: partim, quia tales universitates æque reguntur per alios, sicut minores reguntur per tutores, et curatores; sicque æquum est, ut istorum privilegio gaudeant, prout Bartolus loquitur loc. cit; partim, quia in illis multi sunt pupilli, viduæ aliæque personæ miserabiles, quarum causa et contemplatione merito concedenda est restitutio universitatibus; ut argumentatur Maranta, ubi supra.

38. *Imo et collegiis, seu universitatibus studiosorum.* — Et ob similem rationem Abbas, in d. cap. 1, n. 15, h. t., et post ipsum alii docent, etiam collegiis scholarium, seu universitatibus studiosorum, competere beneficium restitutionis in integrum: quia videlicet in ipsis sunt multi minores viginti quinque annis; unde respectu horum debent audiri, ac restitui.

39. *Semel judicialiter denegatum, non est in alio judicio concedendum.* — Quæritur III. An semel denegatum restitutionis beneficium, adhuc ecclesie, vel minori concedi debeat? Resp. I. Restitutio in integrum semel ecclesie aut minori judicialiter denegata, ulterius in alio judicio non est concedenda, nisi nova causa emergat. Textus est in cap. ult. h. t. et l. I et seqq. C. *Si sæpius in integrum restitutio postuletur*. Accedit ratio, quia, quando ecclesia vel minor petiit restitutionem in integrum, et repulsam tulit, sententia lata super dicta restitutione denegata transit in rem judicatam, nisi intra decendium appellatum sit; ergo hoc ipso non amplius debet audiri, neque imposterum eidem super tali causa restitutio concedi: nam res judicata, pro veritate accipitur, c. *Cum inter*. 13. de *Sentent. et re judicat.* et l. *Res judicata*. ff. de *Reg. jur. cum similibus*.

40. *Nisi nova causa emergat.* — Additur notanter, « nisi nova causa emergat. » Ut fit, quando post sententiam latam super denegata restitutione, nova instrumenta reperiuntur, aut aliæ novæ probationes, seu defensiones antea ignoratæ ostenduntur: tunc enim ex tali nova causa potest ecclesia, vel minor, super eodem negotio in integrum restitui, per jura allegata. Accedit ratio; tum quia, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, l. *De ætate*. § *Ex causa*, ff. de *Interrogator. action.*; tum quia ostensis novis instrumentis, probationibus seu defensionibus, ecclesia satis probat, se per sententiam denegatæ restitutionis graviter esse læsam; sicque merito adversus eam potest implorare restitutionem in integrum.

41. *Potest tamen ecclesia, vel minor, restitui ad jus appellandi a sententia denegatæ restitutionis.* — Resp. II. Non obstante, quod Ecclesie, vel minori, restitutio semel denegata non ulterius concedatur, nisi ex nova causa, ut dictum: nihilominus, quando ipsa omisit intra decendium appellare ab ejusmodi sententia denegatæ restitutionis, potest restitui ad jus appellandi a dicta sententia. Textus est in cit. cap. ult. h. t. et l. I, C. *Si sæpius in integrum*, etc. Nam aiud est, post restitutionem sententialiter denegatam rursus restitui ad totam causam; aliud, restitui dumtaxat ad jus appellandi. Ibi enim, si concederetur restitutio, perinde foret, ac si non esset lata sententia: secus in posteriori casu; quia salva manet sententia, licet appellatione suspendatur: et si talis restitutus non prosequatur appellationem intra terminum juris, confirmatur prior sententia. Vivianus in *Rationali juris*, cap. *Beneficio*. 10. h. t.

42. *Minor læsus potest contra alium minorem petere restitutionem in integrum.* — Quæritur IV. An ecclesia, vel minor, contra aliam ecclesiam vel minorem possit petere restitutionem in integrum? Resp. affirmative. Et quidem, quod minor, qui certat de damno vitando, restituatur contra alium minorem lucrum capientem (secus, si ambo fuissent capti) est textus clarus in l. *Verum*. 11. § *Item quæritur*. ff. de *Minoribus*. Concordat textus in l. ult. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. ubi simili dicitur, quod absens reipublicæ causa restituendus sit contra alium pariter reipublicæ causa absentem, si aliquid damni juste sequitur, seu inde secutum esse probatur.

43. *Sicut et ecclesia contra aliam ecclesiam.*

— Quod autem Ecclesia graviter læsa restituatur contra aliam ecclesiam, patet ex c. *Cum venisset*. 2. h. t., ubi in facti contingentia talis restitutio ecclesie contra aliam, seu monasterii contra episcopum, concessa legitur. Quinimo, quod plus est, in c. *Auditis*. 3, eod. utraque ecclesia, quæ necessariam probationem (ut asserebat) omiserat, simul restituta est: quanquam hæc restitutio non tam contra aliam ecclesiam facta fuerit, quam contra negligentiam suorum procuratorum, ex qua gravem utraque timebat jacturam; licet indirecte, et per consequentiam quamdam, dicta restitutio etiam contra alteram ecclesiam hinc inde intentaretur, dum corrigebatur negligentia proprii procuratoris, quæ cæteroquin prodesse potuisset alteri ecclesie, cum qua litigabat.

44. *Privilegiatus contra pariter privilegiatum non utitur privilegio. Declaratur.* — Dices: Privilegiatus contra pariter privilegiatum non utitur privilegio, l. *Assiduis*, C. *Qui potiores in pignore habeantur*, et cum communi doctorum tradit Abbas in c. *In præsentia*. n. 37. de *Probationib.* Cassatis quippe mutuo privilegiis, utuntur jure communi; ergo. Resp. cum Abbate cit. n. 37. et seqq.; Engel, h. t. n. 6 et aliis, regulam illam procedere, si utriusque par sit causa: alias vero secus esse, ut l. *Verum*. § fin. ff. de *Minoribus*; ubi Summarium sic habet: « Si sint duo privilegiati pari privilegio, præfertur ille, qui certat de damno vitando: sed si uterque certat de hoc, est potior causa rei; seu si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris præponetur. »

45. *Privilegiatus contra pariter privilegiatum non utitur privilegio. Declaratur.* — Hæc ad propositum applicando, negatur consequentia. Nam, quamvis utraque ecclesia sit privilegiata in genere, ut gaudeat beneficio restitutionis in integrum, si graviter lædatur; nihilominus in casu speciali, quo ecclesia B graviter fuit læsa ab ecclesia A, sola ecclesia B specialiter est privilegiata ad petendam restitutionem in integrum; hæc enim solum conceditur graviter læsis, non autem lædentibus. Atqui noti juris est, quod privilegium speciale deroget generali, juxta reg. 34 juris in 6. « Generi per speciem derogatur, » cum concordantibus. Quinimo in tali casu, re penitus inspecta, non occurrit privilegiatus contra pariter privilegiatum: nam ecclesia A non habet privilegium, ut possit alteram lædere; sed soli Ecclesie B

competit privilegium, ut ob gravem læsionem, quam alioquin pateretur, possit uti beneficio restitutionis adversus alteram ecclesiam, a qua læderetur.

46. *Una ecclesia præscribit contra aliam nonnisi quadraginta annis; et cur?* — Simile quid contingit in casu præsumptionis unius ecclesie contra aliam: quamvis enim utraque ecclesia gaudeat privilegio, quod nonnisi quadraginta annis contra eam possit præscribi, c. *Illud autem*. 8. de *Præscriptionibus*, cum similibus; sicque in genere ambæ Ecclesie sint æqualiter privilegiatæ: in casu tamen speciali, quo una ecclesia contra alteram intentat præscriptionem, hæc quidem est privilegiata, ut nonnisi quadraginta annis contra ipsam valeat præscriptio; non item altera ecclesia est privilegiata, ut possit minori tempore contra alteram præscribere. Unde pariter, re accuratius considerata, in præfato casu non concurrat privilegiatus contra pariter privilegiatum.

47. *Inter duos privilegiatos respectu ejusdem cause præfertur, qui habet potentius privilegium.* — Si vero detur casus, quod inter duos privilegium habentes, revera uterque privilegiatus existat respectu ejusdem cause, quæ agitur, tunc præfertur, qui habet privilegium potentius. Idque potest multipliciter contingere: ut primo, si unus certet de damno vitando, alter vero de lucro capiendo; tunc enim præfertur ille, qui certat de damno vitando, cit. l. *Verum*. § fin. de *Minoribus*. Secundo, si cause concedendi privilegium ex parte altera sint favorabiles, arg. l. *Privilegia*. ff. de *Privileg. creditor.* ibi: «Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa.»

48. *Et quid, si privilegia existant paris potentie?* — Quod si tandem cause privilegii sint omnino æquales, ipsaque privilegia paris existant potentie, tunc quando concurrunt ambo respectu tertii, pariter admittantur, haud obstante, quod unum privilegium sit antiquius altero, cit. l. *Privilegia*. ff. de *Privileg. creditor.* Verum inter ipsos potior est conditio possidentis, c. *In pari causa*. 63. de *Reg. jur.* in 6; Bartolus in *Auth. Quas actiones*. § *Venio ad questiones*. C. de *Sacrosanct. Eccles.* Covarruvias in c. *Possessor*, part. II, § 2, n. 4, citans alios.

49. *Majorennibus etiam competit restitutio in integrum ex clausula generali: hoc est juste causa interveniente.* — Quæritur V. Utrum majorennibus quandoque competat beneficium restitutionis in integrum, et quando? Resp. I.

Etiam majorennibus (hoc est, illis, qui ætate sunt majores viginti quinque annis completis) quandoque competit beneficium restitutionis in integrum; sed ex clausula generali solum, hoc est, si justa causa eam concedendi intervenierit. Patet id ex l. I. cum seqq. ff. *Ex quibus causis majores in integrum restituantur*, juncto toto, tit. c. eod.

50. *Causæ justæ restituendi majores, enumerantur.* — Resp. II. Cause justæ restituendi majorenes, seu majores viginti quinque annis, sunt variæ, atque referuntur in jure civili locis citatis. Ex his est. I. Si quis reipublicæ causa sine dolo malo abfuerit, l. I. et IV. et seqq. ff. *Ex quibus causis majores, etc.* Idque rationabiliter extenditur ad omnem casum, quo quis vel testimonii ferendi gratia evocatus, aut ob prosequendam appellationem peregrinari coactus fuit: imo generaliter, quotiescumque quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit, l. *Sed et si per prætorem*. 27. § fin. ff. eod.

51. *Causæ justæ restituendi majores enumerantur.* — II. Si quis in vinculis, servitute, hostiumve potestate constitutus fuit, cit. l. I. et l. IX. cum seqq. ff. eod. III. Gaudent hoc privilegio legati municipiorum, l. VIII. ff. eod. IV; milites quoque, utpote qui a signis sine periculo discedere non possunt, l. VII et l. *Milites*. 47. ff. eod.

52. *Causæ justæ restituendi majores enumerantur.* — Tandem prætor in cit. l. I. ff. eod. ponit generalem clausulam, per quam ex causa justi erroris, vel circumventionis, aut ignorantie, vel hujusmodi pensata æquitate, quoslibet graviter læsos sese restitutum pollicetur, illis verbis: «Item si qua alia justa mihi causa esse videbitur, in integrum restitum.» Sic probata causa fraudulente circumventionis conceditur majoribus restitutio in integrum c. *Ex litteris*. 4. h. t. Similiter rusticis, et aliis hujusmodi, qui jura ignorant, neque alios consulere possunt, atque ideo graviter læduntur, ex clausula generali datur restitutio in integrum. Alexander, consil. 14. vol. II; Maranta, part. VI *Speculæ aurei*, § de *Appellatione*, n. 91. et seqq. Idemque dicendum, quotiescumque præter enormem læsionem intervenit, atque intervenisse probatur alia justa causa petendi restitutionem in integrum. Abbas in cit. c. *Ex litteris*, n. 5. h. t.

53. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus et majoribus, assignatur.* — Resp. III. Nilominus est

notabilis differentia inter restitutionem in integrum, quæ competit minoribus vel ecclesiis, et eam, quæ quandoque indulgetur majoribus. Imprimis enim minoribus viginti quinque annis, sicut et ecclesiis, subvenitur per in integrum restitutionem jure speciali: majoribus vero ex clausula generali, «Si qua alia justa causa esse videbitur,» de qua fit mentio in d. l. I. ff. *Ex quibus causis majores, etc.*, ac notat Glossa, et Abbas ad rubric. h. t.

54. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus et majoribus, assignatur.* — Deinde respectu minoris, vel ecclesie, sufficit probare gravem læsionem ex actu vel contractu sibi accidisse, etiamsi non probetur alia causa petendi restitutionem. Quinimo licet pateat læsionem illam contigisse ex sua facilitate, vel proprij procuratoris negligentia; ut c. *Cum venisset*. 2. et c. *Auditis*. 3. h. t. Econtra respectu majoris requiritur ulterius, quod subsit justa causa petendi restitutionem, et quod illa probetur; ut c. *Ex litteris*, 4. n. t., et notat Abbas ibid. n. 5, et communis. Ratio disparitatis est: quia minori graviter læso, ex æquitate atque officio judicis, succurritur propter ætatis aut judicij imbecillitatem, ecclesie ob favorem religionis, ac reipublicæ propter favorem publicum; ac proinde hæc cause, utpote semper subsistentes, non indigent ulteriori probatione. At vero in majoribus, præter gravem læsionem, requiritur alia justa causa concedendi restitutionem in integrum; v. g. absentia reipublicæ causa, detentio in vinculis, captivitas, circumventio sibi facta, et hujusmodi. «Non enim negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis,» prout habetur, l. *Non enim*, ff. *Ex quibus causis majores, etc.* Cum igitur tales cause non præsumantur, neque generaliter insint, merito antea probari debent, ut restitutio in integrum majoribus concedi valeat.

55. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus, et majoribus assignatur.* — Accedit alia differentia: nam restitutio in integrum nunquam conceditur majoribus, quando ordinarium appellationis remedium intentare possunt. Secus dicendum de ecclesia et minoribus: his enim petentibus conceditur restitutio, tamen si appellare possint, eo quod pinguius ipsis provideatur per remedium restitutionis in integrum, quam per appellationem. Illa enim obtenta non coguntur novam instan-

tiam inchoare, neque novum judicem, forte remotum, adire; prout debet fieri in appellatione. Abbas c. *Tum et litteris*, n. 18. h. t. Layman. c. *Ex litteris*, n. 4. eod.

§ III.

DE TEMPORE PETENDÆ RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

56. *Restitutio in integrum de facto potest peti intra quadriennium.* — Quæritur I. Utrum restitutio in integrum sit petenda intra quadriennium, ac tempus istud sit utile, vel continuum? Resp. I. Ad petendam restitutionem in integrum de facto conceditur quadriennium. Ita rejectis antiquioribus legibus, annum utilem concedentibus, ac nonnullis inutilibus locorum differentiis, habetur expresse statutum in l. ult. C. de *Temporibus in integrum restitutionis*. Concordat. c. *Ecclesia*. h. t. in 6, ubi dicitur, quod ecclesia post quadriennium non admittitur ad petendam restitutionem contra sententiam, vel contractum; nisi prævaricationis, vel fraudis commentum erga ecclesiam tactum, vel alia rationalis causa istud suadeat. Et hoc est indubitatum: nunc loquendo de altera parte propositæ quæstionis.

57. *Tempus continuum, et utile, quod?* — Notandum est cum Glossa communiter recepta in Clement. un. §. *Continuum*. h. t. et alia Glossa in l. ultim. §. *Supervacuum*. C. de *Temporibus in integrum restitut.*, quod in jure distinguatur duplex tempus, continuum videlicet, et utile. «Tempus continuum» dicitur, quod semper seu continue currit, diebus feriatis et non feriatis, in præsentia et absentia, sive sit copia judicis, sive non, arg. l. ult. C. de *Præscript. longi tempor.* Econtra «Tempus utile» (ut ipsum nomen importat) dicitur illud, quod utiliter præterfluit, seu quo datur facultas utendi. Unde hujusmodi «tempus utile» non currit diebus feriatis, nec diebus absentie, neque diebus, quibus non est agendi copia, arg. c. *Quia diversitatem*. 5. de *Concession. Præbend.* et l. *Annus*. ff. de *Calumniatoribus*.

58. *Tempus utile est multiplex.* — Porro tempus utile adhuc est multiplex: quia quoddam est continuo utile; quoddam utile quoad sui principium tantum, non vero quoad progressum: quandoque est continuum uno respectu, ut veniant dies feriati; et non alio, quia non currit juste impedito. His prænotatis: 59. *Tempus quadriennii pro petenda restitutione concessi, uno respectu est continuum alio*